



**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

2. Vtrùm causalitas finis in voluntate nostra sit tantùm respectu
mediorum, vel etiam respectu ipsius finis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

faciam ad causandum. Ut autem hæc causalitas propria ac formalis sit, necesse est ut hæc cognitio sit intellectualis: quia, ut in fra dicemus, solum finis mouet sub ratione boni & conuenientis. Sub hac autem ratione propriè & formaliter solum cognosci potest per intellectum, quia necessarium est cognoscere habitudinem vnius ad aliud, & proportionem quandam inter appetibile, & appetentem, seu inter medium & finem. Vnde bruta, quamuis per cogitationem moueantur ad appetendum, & ideo sit in eis quædam participatio huius causalitatis finis, tamen non est perfecta in eis ac formalis ratio finis propter causam dictam.

X. *2. Corollar. non tamen reperiri in intellectu increato.*
 Secundò colligitur, hanc causalitatem finis, prout exercetur in voluntate, non reperiri propriè in Deo, nec in voluntate eius: sed solum in voluntate creata, quæ per actionem propriam, & actum à se distinctum mouetur in finem: quia ut dixi, vbi non est actio agentis, non est actualis motio finis: sed in voluntate diuinâ non est propria actio, quæ tendat in finem, quia actus, quo Deus vult quidquid vult, non distinguitur à voluntate eius, nec est aliquid factum, seu causatum: nihil enim, quod sit ipsemet Deus, potest habere veram causam; voluntas autem Dei est ipsemet Deus. Dices. Ergo Deus non verè ac propriè operatur propter verum finem. Respondeo, negando consequentiam simpliciter: 1. quia, ut notauit Gabriel in 2. d. 1. q. 5. a. 1. aliud est loqui de fine, aliud de causa finali: finis autem tantum dicit terminum seu rationem extremi, ad quod aliud ordinatur; causa verò finalis, propriè dicit id, quod mouet agens ad operandum: quamuis autem respectu Dei, & voluntatis eius, finis non habeat hanc causalitatem, tamen Deus altiori, & perfectiori modo ordinat effectus suos, seu exteriores actiones ad determinatos fines: & ideo perfectissimo modo, & ablati omnibus imperfectiōibus, operatur propter finem. Secundò, quia licet diuinæ voluntatis non detur propria causa, dari tamen potest ratio eius ex parte finis desumptæ, ut docet D. Thom. 1. cont. Gen. cap. 86. & hoc modo sine causalitate finis circa diuinam voluntatem Deus propriè operatur propter finem. Atq; ex his satis responsum est ad fundamenta aliarum opinionum, in nu. 3. & 5. & amplius patebit ex sequenti sect.

SECTIO II.

Vtrum causalitas finis in voluntate nostra sit tantum respectu mediōrum, vel etiam respectu ipsius finis.

I. **E**xplicata motione causæ finalis in voluntate nostra, superest explicandum, quomplex sit hæc motio, & circa quos actus versetur: uam inde constabit qui sint effectus finis: supponimus autem in genere quosdam actus voluntatis versari circa finem ipsum amando vel intendendo illum, vel fruendo illo; alios verò circa media, quæ propter finem eliguntur. Est ergo quorūdam sententia, causalitatem finis solum exerceri circa media, quæ propter finem appetuntur atque ad eodē motionem voluntatis ad appetendum finem propter se ipsum non esse, nec pertinere ad causalitatem finis, sed solum eam motionem, qua eligit media, vel eis utitur propter finem. Ita Gab. in 2. d. 1. q. 5. a. 1. & Gregor. in 1. d. 1. q. 1. a. 2. & Medina 1. 2. q. 8. in principio, & idem sentit Heruicus quodlib. 1. q. 8. & quodlib. 2. q. 1. quatenus dicit rationem finis consistere in hoc, quod facit media esse amabilia propter ipsum: in quo magis explicat aptitudinem quam actum. Potest autē

Franc. Suarez, De fine Homini.

hæc sententia probari ex Arist. 2. physio. cap. 3. & 5. Metaph. cap. 2. dicente finem esse eius gratia aliquid fit: nam in hac definitione apertè explicat habitudinem mediij ad finem. Vnde 3. Metaph. cap. 2. inquit, Omne, quod per se & propter naturam ipsius, bonum est, finis est, atq; ita causat, quoniam illius gratia cetera sunt: in quibus verbis significat, illam rem esse finem, quæ per se bona est, & amabilis: & hanc conditionem supponit requiri ante causalitatem finis, hanc verò causalitatem in hoc consistere, quod huius rei gratia aliquid fiat ratione prædicta. Confirmari hoc potest, quia finis dicit essentialiter habitudinem ad media, ut ex ipsa votis proprietate constat, nam finis idem est quod extremum; vbi autem non est medium, nec extremum esse potest: ergo causalitas finis propriè non exercetur nisi circa media. Et confirmatur, nam Deus licet se ipso sit beatus, & se propter se amet, & in se ipso quiescat, non est propriè finis sui ipsius, quia non tendit per aliquod medium ad consecutionem sui, vel suæ beatitudinis: ergo signum est causalitatem finis solum exerceri in ordinatione mediōrum ad finem.

II. Nihilominus dicendum est, finem exercere causalitatem suam circa voluntatem nostram, non solum ut eligentem, vel vrentem medijs, sed etiam ut amantem, vel intendentem finem ipsum. Quam sententiam latè tradidi in disp. 23. Met. sect. 3. & in primis existimo esse doctrinam D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1. ad 2. dicentis, voluntatem nostram operari propter finem, etiam agendo actionem que est vltimus finis; non potest autem operatio esse propter finem in nostra voluntate, nisi interueniente causalitate finis. Idem constat ex loco supra citato, de veritate q. 22. art. 2. vbi dicitur, influxum finis esse amari & desiderari. Idem 3. contra Gentes c. 2. dicit finem esse id, in quod tendit impetus agentis: ergo siue tendat per electionem, siue per intentionem, ibi exercetur ratio, siue causalitas finis. Præterea Aristot. 2. Metaph. c. 2. sic inquit, ipsum eius causa finis, tale autem est id, quod non est alterius gratia, sed eius causa cetera: vbi per negationem illam explicat positiuam quandam motionem, aut conditionem finis propriè ac simpliciter dictam, in qua illa negatio fundatur, scilicet ut propter se ametur seu intendatur: ergo vtraque illarum actionum, seu motionum pertinet ad causalitatem finis, & quodammodo integrat rationem eius, quinimò quòd finis habeat vim ad mouendum & trahendum voluntatem ad se, habet & virtutem trahendi illam propter finem.

III. Vnde rationis argumentor hoc modo, quia si nistrahendo voluntatē ad eligenda media propter ipsum, exercet causalitatem suam: ergo & trahendo voluntatem ad volendum eundem finem propter se. Probatur consequentia: nam in electione mediij propter finem duo possunt considerari: vnum est quòd ex intentione, quæ est actus voluntatis, oritur electio, & hoc non pertinet ad voluntatem finis, sed efficientis, ut postea videbimus. Alterum est quòd finis propositus, & intentus mouet in suo genere ad electionem mediōrum, tanquam forma dans illis appetibilitatem; sed in hoc eadem, vel maior ratio est de ipso fine trahente voluntatem ad appetitionem suam: ergo pertinet hoc ad causalitatem finis non minus, quàm illud. Secundò voluntas nostra tendit in finem per veram actionem suam, quam perfecto, & rationabili modo operatur: ergo sicut illius actionis datur vera causa efficiens, ita etiam vera finalis causa, quæ est prima earum. Tertio, Amor Dei super omnia reuera

est amor ultimi finis ut sic; ergo ille amor causatur à bonitate Dei in genere causæ finalis. Unde in beatis voluntas, quæ necessariò amat Deum, ab ipsa Dei bonitate clarè visà, in hoc genere causæ determinatur, & necessitatè ad hunc amorem, & si per possibile, vel impossibile homo haberet illam beatitudinem sine aliis medijs, nihilominus consequeretur Deum, & frueretur illo ut ultimo fine suo, & Deus exerceret quoad hos actus, circa voluntatem causalitatem finis ultimi, sicut Angelus, licet natura sua absque alijs medijs, statim habeat beatitudinem naturalem in Deo ut in fine naturæ, nihilominus illum respicit ut finem suum, atque adeo ut causam finalem omnium actionum, quibus tendit in ipsum. Denique negari non potest quin finis determinet, & moueat voluntatem ad hos actus; sed illa ratio non potest ad aliud genus causæ pertinere: ergo.

IV.
Qui finem effectus finis.

Atque ex hac resolutione intelligitur primò quos effectus habeat causa finalis in voluntate nostra: omnes enim actus, quos voluntas exercet tam circa finem ut sic, quam circa media propter finem, sunt proprii & immediati effectus causæ finalis, in quibus ita est distinguenda ratio effectus à causalitate ipsa, sicut distinguitur actio à termino, ut constat ex dictis in præcedenti sectione. Intelligitur secundò, omnem hanc finis causalitatem proximè & immediatè versari circa actus elicitos ab ipsa voluntate, per illos autem extendi, & communicari alijs actibus humanis, qui ab huiusmodi voluntatis actibus imperantur: ab eis enim diriguntur, & ordinantur in finem, quod est necessarium pro his; quæ postea tract. 3. dicemus de bonitate, & malitia horum actuum, & in Disputatione sequenti amplius hoc explicabitur.

Qui eorum proximi, qui remoti.

V.

Ad fundamenta prioris sententiæ in n. 1. respondetur primò. Arist. in verbis illis, *finis est, cum gratia aliquid sit*, virtute comprehendisse illa duo, scilicet quòd finis propter se amatur, & alia propter ipsum. An vero utrumque eorum sit de ratione finis, dicam infra sect. 9. Dico præterea quando finis intenditur, vel amatur, ibi aliquid fieri, scilicet, ipsam intentionem, vel affectionem circa finem, & illud ipsum fieri gratia finis: nam sicut propter bonitatem finis cogniti eligit homo media, ita propter eandem bonitatem finis cogniti eligit amorem, seu intentionem talis finis. Unde ad rationem, videlicet, quia finis dicitur habitudinem ad media, primò respondetur, licet dicat habitudinem ad media, non tamen ad sola illa, sed ad omnem effectum, quem in suo genere causare potest: nam sicut efficiens dicitur habitudinem ad factum, seu ad omnem id, quod à virtute effectiva prodire potest: ita finis, ut est causa, dicitur ad omnem id habitudinem quod ex virtute finalizandi causari potest. Deinde etiam faciendò vim in nomine finis, quod significet terminum & extremum, respondetur, non solum esse terminum respectu mediorum, sed etiam respectu voluntatis intendentis in ipsum finem propter se amatum, sub qua ratione habet rationem cuiusdam ultimi, & extremi, quia ut sic non ordinatur in aliud, & ipsamet actus voluntatis, qui quodammodo mediatur inter ipsam & finem, in ipso fine consistit tanquam in ultimo termino. Ad confirmationem de Deo responso est clara ex superius dictis quest. præced. num. 11. nam in Deo ad intra quatenus se amat propter se, non est causalitas finis proprii, quia non interuenit aliquis actus, qui propriè fiat ex motione finis.

SECTIO III.

Vtrum finis exerceat causalitatem suam sub ratione boni cogniti.

Explicuimus causalitatem finis, & effectum eius: sequitur ut dicamus de ratione causandi, seu de virtute, per quam causat. De qua duo sunt certa, circa quæ alia erunt dubitanda, & explicanda.

Primò igitur certum est, finem in suo genere causare, quatenus quoddam bonum, & conueniens est. Hæc est sententia D. Thomæ 1. 2. quest. 1. art. 1. in fine corporis, quam latè tractat 3. con. gentes c. 2. & 3. vbi probat, idem esse operari propter finem, & propter bonum: & 1. p. q. 5. a. 4. fimiliter probat bonum habere rationem finis, vbi in solutione ad 2. in hunc modum explicat illud Dionysij 4. cap. de Diuinis nominib. *Bonum est diffusiuum sui*. Eandem doctrinam habet Alensis 1. par. q. 17. memb. 3. & 34. memb. 1. & colligitur ex Arist. 1. Ethicor. capit. 7. dicentis, *id esse vicinè bonum, cuius gratia cætera operantur*. Idem lib. 1. Ethic. in fine. & 2. Phys. cap. 3. vbi dicit, *finem & bonum idem esse*. Ratio verò cõstat ex dictis, quia causalitas finis in hoc consistit, quòd trahit voluntatem ad se propter se amatum, vel alia propter ipsum: sed nihil potest trahere voluntatem nisi bonum, quatenus bonum est: ergo bonitas est à qua habet finis virtutem causandi finaliter; est ergo illi ratio causandi.

I.
Fini ratio seu virtus, per quæ causat, est bonitas.

Hanc autem veritatem per se claram, obscuriorem reddit Caiet. 1. p. art. 4. q. 5. dicens, bonitatem formalem esse ipsam rationem causæ finalis in actu exercito, non verò in actu signato, nisi tantum fundamentaliter. Quorum verborum sensus in idem redit. Nam per hoc nomen bonum non explicatur res sub habitu ad effectum, seu actum finaliter causandi, & hoc vocauit Caiet. finem in actu signato, quam rationem non significat formaliter ratio boni, sed tantum explicat perfectionem obiecti, seu conuenientiam quam habet cum voluntate, ex qua habet quòd finalizare possit, quam habitudinem formaliter explicat nomen, seu ratio finis; & ideo dicitur fundari in bonitate. Et hoc modo dixit Caiet. bonum significare rationem finis in actu exercito fundamentaliter, ac si in causa efficiente diceremus calorem, v. g. esse finem agentis fundamentaliter, tamen ut sic non significare formaliter ipsam habitudinem efficientis.

II.
Exponitur Caiet. circa rationem causandi finaliter.

Secundo certum est ut bonum causet finaliter necessarium esse ut cognitum sit; quia appetitus vitalis sequitur formam apprehensam, & ideo ferri non potest nisi in obiectum cognitum ut constat ex Philosophia; & ex 1. p. q. 80. & sequentibus. & ex q. 8. & 9. 1. 2. videri possunt quæ scripti in disp. 23. Metaph. sect. 7. & lib. 2. de orat. mentali. cap. 13. Hinc verò oriebatur occasio disputandi quomodo se habebat esse cognitum ad rationem causandi finalis, an scilicet sit tantum conditio necessaria, vel etiam ratio causandi, & consequenter an bonum causet cognitum finaliter secundum esse cognitum, vel secundum esse reale. Quam questionem latè tractat 1. 2. q. 1. art. 1. Medina; & Caiet. ibid. & antea in 1. p. q. 5. art. 4. & Ferrar. 1. cont. Gen. cap. 44. & aliqui Theologi in 2. dist. 1. præsertim Gabr. p. 5. alij verò in 2. dist. 25. præsertim Scot. & Capreol. Sed quoniam hæc res in disp. 23. Metaph. sect. 8. à me latè traditur, & ut existimo, nihil difficultatis habet, dicam breuiter quæ sentio, & quod ad Questiones Theologicæ postea tractandas est necessarium.

Aduer-